

TRICINIVM

2 NVPTIALE

Iacobo Reihingo nouo

Nuptiatori

Mary A. Schreiss.

TRIBVS SANCTIS PATRIBVS

BASILIO, CHRYSOSTOMO,
ET AMBROSIO

DECANTATVM

Cum tribus Epicitharismatis, B. Davidis,
S. Augustini, & S. Cypriani.

Prouerb. vi.

Homo Apostata, vir inutilis, graditur ore
peruerso, annuit oculis, terit pede, digitos lo-
quitur, prauo corde machinatur malum,
Et omni tempore iurgia seminat.

Hunc exemplum veniet per dictio, hoc est, si cō-
teretur, ne habeat ille vitrum medium.

INGOLSTADII,

Ex officina WILHELMI EDERI.

Anno M. DC. XXII.



ECCLESIASTICI XIX.

Vinum & mulieres apostatae faciunt sapientes, & arguent sensatos: & quis iungit fornicariis, erit nequam, putredo & vermes hereditabunt illum, & extolleetur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius.

ISAIAE XXX.

Væ filii desertores, dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum. qui ambulatis vt descendatis in Ægyptum, & os meū non interrogastis, sperantes auxiliū in fortidine Pharaonis, & habentes fiduciam in Vmbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusione, & fiducia vmbra Ægypti in ignominiam.

S. AMBROSIUS Epist. XXXVI.

In Ægyptis confidat, qui luxurijs deditus est, emancipatus lascivia. Nemo autem se luxui committit, nisi qui recedit à Preceptis veri Dei. Vbi autem cœperit quis luxuriari, incipit deuiare à fide vera. Ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis & mentis Sacrilegia. Ergo qui non sequitur Dominum Deum suum, ingurgitat se luxuria ac libidini, pestiferis corporis passionibus. Qui autem se ingurgit auerit atq; immerserit buiusmodi voluntbris, perfidia LAQUEOS incurrit. Sedit enim populus manducare & bibere, & fieri sibi Deos alienos poposcit. Unde docet Dominus, quoniam qui duobus istis flagitorū generibus dederit animam suam, exiuitur in dumento non vestis lana, sed vinida virtutis, cuius amictus non temporalis, sed aeternus est.

TRICINIVM NVPTIALE.
BASILIVS MAGNVS
nouo Apostata Rehingo.

Alutis gaudium non dicimus, quoniam in istiusmodi impijs gaudere non licet. Adhuc enim adduci nequeo ut credam, & in cor meum admittam, absurdum illud & vehementer audax facinus, quod designasse diceris, si tamen res habet, vt videtur. Admiror enim, quomodo tanta interierit sapientia, quomodo tam exacta vita prioris disciplina pessum ierit; vnde tāta offusa cæcitas, quomodo reiecta omni consideratione talem actantam, animarum perditionem induxeris. Si enim hoc verè patrasti, & animam tuam inferni profundo tradidisti, & omnium eorum, qui impium hoc facinus audiente, firmitatem dissoluisti, fidem contemptim abiurasti, boni propositi certamē à Scopo auertisti. Quapropter tui gratia doleo. Quis enim Sacerdos cum audierit, non tuo nomine plorabit? Quis Ecclesiasticus non lamentabitur? Quis laicus non mōrebit? Quis religiosus non lugebit? Forsan & sol obscurus fuit cū delinqueret & caderet, & virtutes cœli in perditione tua commotæ sunt. Et insensati lapides

*Epistol. prior 3.
Basilij ad quē.
dam Monachū
apostatam.*

infaniam tuam deflerunt. Plorarunt & inimici properaverunt iniquitatis tuae exuperantiam. O grauem cæcitatem! O immanem crudelitatem! Deum non timuisti, homines non es reueritus, nullâ amicorum rationem habuisti, sed simul omnia facta naufragio perdisti, simul omnibus spoliatus es.

Quocirca iterum tui gratia doleo. Qui omnibus regni Dei vigorem annunciabas, regno Dei excidisti. Qui doctrinæ timorem omnibus incutiebas, non habuisti timorem Dei ante oculos tuos. Qui virtus sanctimoniam prædicabas, scelestus deprehenderis. Qui paupertatis gratia colionestabar, pecuniarum raptor inuentus es. Qui supplicium quantum à Deo immineret peccantibus, per doctrinam ostendebas, supplicium ipse tibi accersivisti. Quomodo te lugerebo? Quomodo super te dolebo? Quomodo cecidit Lucifer, qui manè oriebatur, & super terram contritus est? Ambæ prostrus aures tinnient cuicunq; audituro. Quomodo Nazaræus auro splendidior, fuligine factus est obscurior? Quomodo filius Sion præclarus factus est vas inutile? Cuius diuinarum scripturarum commendationem omnes commemorabant, illius hodie memoria cum sonitu periit. Qui multæ erat intelligentiæ, multifariam etiam deliquit. Qui namque per doctrinæ ruam adiuti fuerant, è perditione tua damnum acceperunt. Qui aures cum doceres arrexiserunt, ad rumorem perditionis tuae aures obturarunt, &c.

Si quas pes igitur salutis tibi reliqua est; si quæ vel modica Dei recordatio; si quod futurorum bonorum desiderium; si quis metus suppliciorum, quæ impœ-

impœnitentibus reposita sunt, resipisce velociter. Leua oculos tuos ad cœlum. Redi ad mali conscientiam. Cessa à malitia tua. Excute qua circumfusus es ebrietate. Obluctare ei, à quo prostratus es. Erigere fortiter ex humo. Recordare boni pastoris. Ille namq; te insequitur, vt velut è lupi fauibus eruat, etiam si duo tantum crura, aut auriculæ portio supersint. Resiliab eoquite vulnerauit. Memore esto miserationum Dei, quod ille oleo & vino medeatur. Ne desperes salutem. Resume memoriam eorum quæ scripta sunt. Quoniam qui cecidit, inquit, resurget, & qui auersus est, renertetur, qui percussus est, curabitur, qui captus est à bestia, victor euadet. Qui comissum fatetur, non abijcitur. Non vult enim ita Deus mortem peccatoris, quemadmodum ut conuertatur & viuat. Netanquam in malorum profundum delapsus contempseris. Tempus adhuc est patientiæ diuinæ, tempus lenitatis, tempus curationis, tempus correctionis. Lapsus es? Exurge. Peccasti? Quiesce. Ne stes in via peccatorum, sed resili. Quamprimum enim conuersus ingerueris, seruaberis. Est enim sanitas ex laboribus, & ex sudoribus salus. Vide igitur, ne forte dum vis, quæ quibusdam pactus es, custodire, transgrediare pacta à te inita cum Deo, quæ profensus es coram multis testibus. Noli rationibus humanis impeditus, redditum ad me detrectare. Ego enim recepto mortuo meo lamentabor, ego curabo, ego amarè flebo super contritione filię generis mei. Omnes te expectant. Omnes tibi collaborabunt. Ne diffidas. Recogita dies antiquos: est adhuc salus, est correctio: confide, ne despera. Non est lex quæ sine misericordia morte

dia morte condemnat, sed gratia quæ penam proferget, expectans emendationem. Nondum occlusæ sunt ianuæ. Audit sponsus. Ne dominetur peccatum. Ad pugnam redi: Nemoram nectas. Et cui ipsius misere-re & nostri omnium. * Ne in profundo malorum per-maneas. Ne utaris te ipso homicida. Nouit erigere collis os dominus. Ne fuge procul, sed ad nos recurre. Suscipe rursus iuueniles labores, secundarijs virtuo-sis factis humirepam ac ridiculam voluptatem, dissolue.

* Ex posteriori
Epistola S. Basili-
i ad professio-
nis sua deserto-
rem.

S. Basilius in
Constitutionib.
monachicis,
cap. 22.

Bructus Apo.
Apol.

Nec capititudo fidei. Siquidem nihil est facilius quam seipsum fallere, quod quisque sibi ipsi benevolus & quoque indulgentior est iudex, & quæ iucunda sunt, ca-vtilia iudicat. Quamobrem qui eiusmodi est, is veri-tatis ipsius iudicio damnatus habendus est, veluti qui scandalorum vberimam segetem függerat multis, p-ueroque exemplo alios assidue ad similium flagitio-rum imitationem instiget. Hæres fit illius horrendi Væ: Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria circum collum eius & demergatur in profundum maris. Nam animus, qui semel Apostasiam assueverit, is vitiorum omni genere cumulatur, intemperantia, auaritia, e-dacitate, falsitate, omniisque morum perfueritate, & postremo extremis malis infixus, in profundum ne-quitiæ abit præceps. Qui igitur horum, qui istiusmo-dis sunt, ducem se præbet, animaduertatis, quam multarum animalium rebus existat: qui quidem ne reddendis quidem de anima sua rationibus esse par possit.

CHRIST.

NVPTIALE

CHRYSOSTOMVS NOVO ATH EOD O R O,

Transfuga.

 Llud contemplare, quæso Athedore, iu-dicium, illud prospice, quod sine fine reue-rendum est, atque intremiscendum tribu-nal. Omnes enim, inquit, necesse est mani-festari ante tribunal Christi. Ille tunc Iudex sedebit, i. Cor. 3. qui nunc à te repudiatur. Quid tunc ergo dicernus? quo colore excusationis tremur, si in eodem criminе Rom. 1.4. permanebimus? Interrogo, quid loquimur? Negoti-orum forte atque causarum varias sollicitudines præ-tendemus? Sed ante nos commonens, ipse prædixit: Quid proderit homini, si totum mundum lucretur, Matth. 16. animæ autem suæ dampnum patiatur?

 Sed seductos nos à quocunque causabimur? Sed non potuit Adam uxoris illecebras excusare, dicens: Mulier quam dedisti mihi Sociam, ipsa me seduxit. Genes. 3. Nec rursus uxorem serpentis culpa defendit. Magni horrendique timoris plenum illud, Athedore, iudi-cium est, non accusatore eger, neque testes requirit. Omnia enim nuda atque detecta sunt oculis iudican-tis: nec factorum tantummodo, verum etiam cogita-tionum nostrarum rei necessariò subiacemus. Scrutator enim atque discretor est cogitationis & cordis ille qui iudicat.

Sed forsitan naturali infirmitate tentabimus cri-men obtegere, nec potuisse nos susceptum iugum fer-re dicemus. Et qualis hæc excusatio erit, iugum nos placidum non voluisse sufferre, onus non potuisse portare,

Ea Epist. secun-das Chrysostom-um ad Theodosium Apostolam

Rom. 1.4.

Math. 11.

Hebr. 13.

Nuptia Aposto-
tarum peccato-
rum adulterio.Ergo nuptijs A:
pultatru non
meritissvs
neccraterissv
nec dispu-
lssv.
sicut interfur-
rum nuptijs m
Cana Galilee.

portare, quod ipse vocauerit leue? imo graue, & onerosum pondus putare, quietum laborem, ad quem nos Christus inuitat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere facia. Et rursus: Tollite iugū meū, quia suave est, & on' meū leue est. Quid enim leuius esse dices ac meli' quam solicitudine seculari & laboribus & metu exui, quam ab istius mundi fluctibus segregari, & possidere placidi tranquillique portus securitatē? Age perspiciamus, quid in hoc seculo nobis beatum, quid optrabile videatur. &c. Bonum quidem NVPTIAS & ipse confiteor: Honorabiles, inquit NVPTIÆ & CVBILE immaculatum. FORNICATORES AVTEM & ADVLTEROS IVDICAT DEVS. Sed te iam seruare non conuenit priuilegia NVPTIARVM: Angelorum enim Societari semel iunctum illam relinquere, & VXORIS laqueis implicari, ADVLTERII crimen incurrere est; quamuis frequenter hoc ipsum NVPTIAS voces: ego tamen & ADVLTERIO illud tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortali bus Angelus. Neque ullus tibi forte persuaserit, dicens: Nihil de non accipienda VXORE Dominus præcepit. Nec me ignorare cōfiteor, quod ADVLTERIVM interdixit, non NVPTIAS veruit: Verum in te ADVLTERII nomen accipiet, si volueris unquam, quod absit, NVPTIAS cogitare. Et quid mirum, si NVPTIÆ tales, quibus offenditur DEVS, ADVLTERIO comparantur? Maius longe audies: Homicida iustorum laude donatur, & misericors plus quam homicida punitur: quoniam hoc vetante fit Domino, illud volente. Et Phinees quidem ad iusticiam reputatum est, quod impudicum cum turpifæmina virum

vno

vno gladio percussisset. Sauleni autem Samuel sanctus DEI in luctibus, lachrymis, precibusque pernoctans, damnatione, cui illum addixerat DEVS, liberare non potuit: quoniam hostium duci, quem debuerat crucidare, inuitò parcendum creditit DEO. Cum hæc ita sint, stupere desiste; si NVPTIÆ peiores ADVLTERIO iudicantur, quoties Christus offenditur.

Atque ut illud repetam, quod in principio posui Epistole, si militiae vincula non tenerent, quis tibi desertionis crimen obijceret? Nunc autem nihil in te penitus cui iuris est, quippe qui tanto Imperatori militare cœpisti. Nam si mulier proprij corporis non habet potestatem, sed vir: multo magis hi, qui Christo porius, quam sibi viuunt, conditionem corporis sui habere non possunt. Iste, qui in Ætate Theodore, contemnitur, ipse tunc sine dubio iudicabit. Hoc præcipue cogitemus, prospiciamus illum igneum fluuum, qui ante conspectum ipsius præcedet: & quod qui illi semel traditus fuerit flammis, sperare non poterit requirem, finemq; pœnarum. In hoc quippe seculo aut queritur vita, aut amicitur. Huius enim vitæ diuinitat, & illicitæ voluptates, somno similes umbrisq; transcurrunt, in quibus antequam peccato terminus detur, delictatio cupiditatis extinguitur: illa vero supplicia, quæ hominem propter ista suscipiunt, non carent fine tormenti: & quod hic oblectare creditur, temporale est: quicquid autem illic cruciat & consumit, æternū est. Quid in hoc mundo stabile? quid perenne est? Credo diuinitat, quæ usque ad vespertinas quidem horas plerūq; manserūt. Sed fortasse gloria secularis?

B.

Audi

Num. 33.

1. Reg. 15. 67

10.

1. Cor. 7.

Ab oīata non
potest corpus
sum tradere
aliter.

TRICINUM

^{16.92}
Audiergo cuiusdam venerabilis viri vocem: Tempus inquit, vitæ meæ leuius cursoribus fuit. Ut enim illi priusquam bene stent, exiliunt; ita & hæc etiolas ante quam veniat.

Nec ignoro, quod inferiorem te fecerit contra i-nimici conflictum cessatio dimicandi: Scio quod in medio verseris incendio secularium voluptatum. Sed si aduersario dictum velis, non seruiemus oblectatio-nibustuis, nec radicem adoramus omnium malorum: si sustuleris ad coelum oculos, mox caliginem Domin' tetri ignis excutier: & eos quidem, qui te ad incendi-um impulerunt, concremabit: te autem in medio for-nacis constitutum resperget rore nebularum, & sibi-lantis auræ spiritu æstuantia tibi corda mulcebit; ita-vt nec ad cogitationes, nec ad conscientiam tuam vis-ignis accedat: tantum ne requiescere segnior velis, & sponte vincaris. Nam & munitissimas ciuitatum, cū sa-pe omnia obsidentium tela vicissent, omnium ex-pugnationum genera vitassent, vnius tantum vel alterius ciuium interius co-manentium ocellta proditio sine ullo repente certamine capi fecit. Et nunc caue, ne qua in sensibus tuis cogitatio prædictionis tibi ma-chinā molliatur inumeris artibus, licet longi temporis expugnatione murorum vctatur inimicus, incassum-cuncta tentabit. Multos namque ac magnos habes diuini munera gratia viros, qui nobiscum dolent, qui re palæstræ oleo spirituali sa-pe pfundūt, qui pro ani-ma tua diebus ac noctibus salute formidant. &c. Om-nes hi indefessa casum fraternum lamentatione de-plorant. Et iam sine dubio iugi prece meruissent asse-quid dum quod precabantur, si paulisper hostium temetipsum laqueis eruerentur. Quo-

NUP TIAL E.

Quomodo ergo nō incongruū, & reprehensione dignum videtur, si cum alij ne haunc quidem de tua fa-lute desperent, sed continuis orationibus recepturos se proprij corporis fratrem esse confidant, nolis ipse consurgere semel lapsus sed iacere persistas, atque i-ipsum quodammodo hostem increpes, dicens: Occide, ne parcas. *Nunquid qui cadit, non resurget?* in libris *psal. 70.* ecclœstibus legimus dictum. Verum contradicis ipse his sermonibus, & repugnas. Nam desperare semel lapsum, nihil aliud est dicere, quam hoc: *qui semel ceciderit, non resurgat.* Ne quæso, ne vsque adeo in expug-natione tui, ac lœsione permaneas, neve tantum igno-minis omnibus nobis offundas dolorem.

AMBROSIUS NOVO GENIALI.

 Vdite me nunc qui prope estis, & qui longè, *Vida S. Ambro.*
Epsl. 80. 85. 81.
Ex libr. S. Am-bro-sij ad Vir-ginem lapsam.
Rom. 14. qui timetis D E v M, & Ecclesiæ eius gau-dio congaudetis, & tristitiae conlugeatis, si-cut scriptum est: *Gaudete cum gaudentibus, & plorate cum flentibus.* Vos, inquam, appello, qui charita-tem Christi verissimam tenetis, & super iniurias non gaudetis, sed potius ingemiscitis. Aduertite verba oris mei, & an ex iusto dolore procedant iudicate, & detecti sceleris qualitatem mecum pariter perhor-rete. Homo nobilis, dicatus Christo, sapiens, crudi-tus, ruit in foueam turpitudinis, *Concepit dolorem, & peperit iniuriam.* Se perdidit & Ecclesiam macula-uit. Hinc omnis anima Christiana graue vulnus ex-cepit, quia sanctum darum est canibus, & margaritæ missæ ante porcos. A rabidis enim hominibus nomé laceratum est sanctitatis, & ab immundis, & luteis *psal. 7.*
Matt. 7.

Tibren. 1. pretiosum conculcatum est propositum castitatis. Hinc aestus animo meo, hinc insanus dolor, quia vnu malum bona plurima secum trahit, & vna nubecula (animæ) pene totam lucem obscurauit Ecclesia. Assumam ergo vocem Propheticam, & flebili ter dicam: Audite me omnes populi, & videte dolorem meum: Virgines meæ, & iuuenes mei abierunt in captiuatem. Verè hæc est captiuitas, vbi animæ à peccato captiuæ ducuntur ad mortem, & à diabolica dominatione possidentur.

XSal. 67. Ad te ergo nunc sermo sit, qui caput horum, & causa malorum es, qui multipliciter miser eum gloria virginitatis nomen etiam perdidisti. &c. Vnde incipiam? quod primum, quod ultimum dicam? Bona commemorem quæ perdidisti, an mala defleam quæ inuenisti? Eras (professus) in paradiſo Dei, vtique inter flores Ecclesiae. Eras Sponsa Christi, eras templo Dei, eras habitaculum Spiritus sancti. Et cum dico toties, ERAS, necesse est, vt toties *ingemiscas*, quia non es, quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est: Pennæ columbae deargentatae, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Splendebas vt argentum, fulgebas vt aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam stella in manu Domini, nullum ventum, nullius belli nebulas pertimescebas. Quæ est ista subitanea conuersio? Quæ ista repentina mutatio? De (professo Dei & castitatis) factus es corruptio Satanæ; de Sponsa Christi, scortum execrabile; de templo Dei, fanum immunditiae; de habitaculo Spiritus sancti, tugurium diaboli. Qui incedebas cum fiducia vt columba, nunc lates

Quis fuerit A. possesta. Et quis nunc sit.

lates intenebris sicut stellio. Qui fulgebas vt aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior factus es luto platearum, vt eriam indignorum pedibus conculceris. Qui fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens cœlo, lumentum extinctum est, & conuersus es in carbonem.

Væ tibi misero, & iterum vae, qui tanta bona propter parvum temporis luxuriam perdidisti. Quam tibi spem apud Christum Dominum reliquisti, cuius membra tollens fecisti membra meretricis? *Quis te* Spiritus sanctus visitabit, cum eum repudiasti, quis se quoque à cogitationibus sordidis longe faciat? Sed veniamus ad humana, vt illa diuina noscantur. Aspice quis Sanctorum aut quæ Sanctorum tibi approximare non horreat, aperi tuos, si potes, oculos, erige frontem, si audes aliquem sanctorum fiducialiter intueri. Nonne tuam faciem conscientiæ commissum tanquam plumbum inclinat & premit? Nonne tenebra ante oculos tuos, & dura caligo oversatur? Nonne timor & tremor animam tuam, & membra quassant? Si ergo homines in carne constitutos, & alicuius forsitan delicti obnoxios, non potes intueri, tam graui confusione sepultus, quid facies coram castis Apostolis? Quid facies coram Helia, Daniele, & tantorum exercitu prophetarum? Quid facies coram Ioanne? Quid facies coram Maria, Tecla & Agne, & immaculato thoro puritatis? Quid denique coram Angelis sanctis? Nonne splendore & claritate immaculatorū quasi fulminibus percussus combureris?

Sed dicturus es forsitan: Non potui sustinere, quia carnem fragilem circumferebam. Respondebit *obligatio.* *solutio.*

tibi beata Tecla cum suis innumerabilibus socijs: Es nos eadem carne amictæ fuimus, non tamen plenum propositum castitatis nostræ aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut sauitia tyrannorum per varia tormenta potuit deijsare.

x Cor. 5.2

Sed ad te iterum redéo, qui obliuionem tantorum passus bonorum, recepraculum tantorum malorum factus es. Quomodo tibi in actu illo ignominioso (N VPTIARVM) non veniebat in mentem vel maxime illud Apostoli: Fugite FORNICATIONEM, quia omne peccatum, quodeunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem FORNICATVR in corpus suum peccat. Ecce dicit, *in corpus suum*, tamen in Christum eum peccare demonstrat: Nam subiungit: Non estis vestri: Empti enim estis pretio magno, glorificate, & portate D E V M in corpore vestro: Et iterum dicit: FORNICATIO autem & omnis immundicia nec nominetur inter vos, sicut decet Santos. Et seposita omni adulazione sententiam figit Apostolus: Hoe, inquit, scitote, intelligentes, quia omnis FORNICATOR, aut immundus, aut auarus, non erit hæres in regno DEI. Hæc tanta & tā terribilia non tibi veniebant in mentem, cum ad illud opus nefarium tua membra peterentur? Sed mortifera te obliuio tanquam in gurgite altissimum demergebat, & quasi captiuum execrabilis libido ducebatur, &c.

Oblitus es propositum, oblitus parentes, oblitus es Ecclesiam, oblitus gloriam dignitatis tuæ, oblitus honorem virginitatis, (& professionis tuæ) etiam oblitus promissionē regni, oblitus iudicium terrible, amplexus es corruptionem, protulisti fructum confusioneis,

fusionis, finem verò mortem sequissimam, & interitus sempiternum. Quod si is qui vnum scandalizauerit, mola circumligatus iactari debet in mare, quid de te ~~manus~~. pronuncias, per cuius scelus omnis anima fauciata est; & nomen Domini in gentibus blasphematum est? O religiose, totius tibi cumulus iniquitatis augetur? Iaces ecce vulneratus. Iaces ecce prostratus. Non fratres tui, non sorores hoc de te dedecus exspectabant, quos omnes, quasi uno gladio sceleris tui grauiter fauciasti. Si fuisses communis sorte defunctus, flessent te modicum propter desiderium; at nunc plangunt mortuum & non mortuum, lugent viuum, & non viuum: mortuum vtique gloria castitatis: viuum dedecore turpitudinis.

Et licet tam boni quam mali iusta indignatione permoti, te omni depopulatione dignum, omni tormentorum generediscrutiatum iudicent morte multandum, aut ignibus exurendum: Ego tamen qui scio grauia facinoris seruari tormenta, & sine fine impias animas cruciatus manere, non temporales vtique sed æternos: alijs te volo cruciatibus affici, profuturis vtique, non animam perdituris. Et secundum diuinam sententiam dabo consilium. Solum enim, & vnicum centandum est remedium, illud quod diuina vox per Ezechielem miseris porrigit. Nolo, inquit, mortem peccatoris, sed tantum ut conuertatur & vivat. Et iterum: post hæc, inquit, dixi: Conuertere ad me: nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare non ascendit sanitas filiæ populi mei? Hæc vtique dicta pœnitentiam sapiunt, hæ sententia Dei vocant ad pœnitentiam peccatoros. Pœnitudo

Ezech. 33.
Horm. 8.

tudo enim necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria medicamina.

Math. 5.

Sed quanta putas, & qualis necessaria pénitentia, quæ aut æquæ criminæ, aut excedat? Pénitentia ergo non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autem sic agitur. Si tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, & de quo librovitæ nomen tuum delectum sit, & si te iam credas prope ipsas positum tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum & stridor dentium sine fine. Cum hæc certa fide, sicut est, animo conceperis, quia necesse est præuaricatricem animam tartareis poenis, & gehennæ ignibustradi, nec aliud remedium constitutum esse post baptismum, quam pénitentia solatium, quantumuis afflictionem, quantumuis laborem, & indecorum subire esto contentus; dummodo ab æternalibus poenis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente retractans proprij facti tu ipse iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi est, & quasi mortuum te existimans, sicut es, quomodo possis reuiuscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines (mystax subrectæque in conum & crispanæ comæ) qui per vanam gloriam occasionem luxuria præstiterunt. &c. Pallescatur facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat; quia male sibi de pulchritudine placuit. Cetero sit laqueus sicut cera, ieunijs inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucietur, quia in membra corporis

corporis cum haberet dominationem, malo cesset imperio. Talis vita, talis actio pénitentiæ, si fuerit persuerans, audebit sperare, et si non gloriam, certè pœnæ vacuationem: Dicit enim Deus: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Conuertimini ex toto corde vestro, in ieunio, & fletu, in planctu, dirumpite corda vestra, & non vestimentum, quia pius & misericors sum. Sic conuersus magnus ille David iustificatus est. Sic Ninive peccatrix illa ciuitas incumbentem sibi euasit interitum. Peccator ergo si sibi ipsi non pepercit, à Deo illi parcitur. Et si futuras pœnas, gehennæ præcipias, in hoc paruo vitæ spatio compéfauerit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ, alta & prolixa opus est medicina. Grāde scelus grandem habet necessariam satisfactionem, &c.

Si mente cernerent homines peccatores, quale iudicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate seculari, si non infidelitate gravaretur. Quantumuis & qualemuis cruciatum longior vita duceret, optarent: dummodo illas pœnas æterni ignis non incurrerent, &c.

Exclude ergo vel nunc infelix de corde tuo blandimenta serpentis, & lustri, & fletu continuo, dum in corpore tuo immundo anima illa tenebrosa versatur, remedium tibi in die necessitatis acquire, semper ante oculos tuos habens Apostoli sententiam: Quia omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis sui secundum quæ gessit, siue bonum, siue malum.

S. AMBROSIUS in Psal. 36



Onsidera aliquem per aliquot annos habuisse studium probitatis, castitatis custodiā, viræ attentioris affectum, pīx propositum seruitutis, sedulæ obseruationis officium: subitoque eum esse mutatum, discessisse de monasterio, valedixisse ieiunijs, continentia renunciasse, indulgere delicijs, studere luxuriæ. Dudum de monasterijs exierunt, & nunc luxuriæ sunt magistri, disseminatores incontinentiæ, incentores peculantiarum, obtrectatores pudoris. Nonne de his pulchre dixeris: effusi sunt gressus eorum? quos bene vixisse pœnituit. Egerunt itaq; noui generis pœnitentiam pro virtutibus, & non agunt pro delictis. Sed hi ex nobis exierūt, dicit Ioannes: sed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, nobiscum perseverassent. Hi ergo viam suam condemnauerunt, quibus conuenit dici: O qui dereliquistis semitas rectas, abeundo in vias tenebrarum, & qui latamini in malis, & gaudetis in euersione mala, quorum semitæ prauæ, & flexuosi cursus eorum, sicut lubricus & flexuosus auctor ipsorum: cur odisse coepistis viam rectam, & iustum consilium deseruistis? Non vos direxit Dominus, Quem autem dirigit Dominus, viam eius cupiet, sicut scriptum est: & ipsius semitis delectabitur.

Finis Tricinij Nuptialis.

EPICI

EPICITHARISMATA GAMELIA,
SEV NVPTIALIA

I. BEATI DAVIDIS CITHAROE,

DT PRÆSTANTISSIMI Psal. 108.

Onstitue super eum peccatorem: & diabolus Hunc psalmam
de Iudea predi-
tore omnī ac-
pōstatā dī-
signano intel-
ligendum est.
docet s. petrus
apostolus Ad. 1.
stet à dextris eius.

Cum iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.

Fiant dies eius pauci, & episcopatū eius accipiat alter.

Fiant filii eius orphani: & vxore eius vidua.

Nutantes transferantur filii eius, & mendicet, & ejcianter de habitationibus suis.

Scrutetur fœnerator omniē substantiā ei⁹: & diripient alieni labores eius.

Non sit illi adiutor: nec sit, qui misereatur pupillis ei⁹.

Fiant nati eius in interitum: in generatione vna dele-
atur nomen eius.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius (Lutheri, Schmidelini, Osiadri) in cōspectu Domini: & pec-
catū matris ei⁹ (Apostasiæ & heresios) nō deleatur.
Fiat cōtra Dominū seni p., & dispereat de terra memo-
ria eorū: pro eoq; nō est recordat' facere misericordiā.
Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit bene-
dictionem, & elongabitur ab eo.

Et induit maledictionē sicut vestimentū: & intravit
sicut aqua in interiora ei⁹, & sicut oleum in ossib⁹ ei⁹.

Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur: & sicut Zona,
qua semper præcingitur.

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominū:
& quiloquuntur mala aduersus animam meam.

Am vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Prusquam esses voti reus liberum fuit, quo esses inferior, quamuis non sit gratulanda libertas, qua sit, ut non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc vero quia tenetur apud DEVM sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed a magna iniquitate deterreo. Non enim calis eris, si non feceris, quod vouisti, qualis māsis, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses, non peior. Modo autem tanto (quod absit) miserior, si fidem DEO fregeris; quanto beatior, si persolueris. Nec ideo te vouisse pœniteat, imo gaude, iam tibi sic non licere, quod cum tuo detimento licuisset: Agredere itaque intrepidus, & dicta ample factis: ipse adiuuabit, qui vota tua expedit: FOELIX EST NECESSITAS, QVÆ IN MELIORA COMPELLIT.

S. Augus. lib.
de bono vnuis.
cap. II.
Hoc sterū vides
nuptias Apo-
stata peiores ef-
so adulterij.

Non possum dicere à proposito meliore lapsas, si nupserint, fæminas, (& viros lapsos, si matrimonium inire tentent,) adulteria esse, non coniugia: sed plane non dubitarim dicere: lapsus & ruinas à Castitate sanctiore, quæ vouetur DEO, adulterijs esse peiores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offenditionem Christi pertinet, cum membrum eius fidem, non seruat marito; quanto grauius offenditur, cum illi ipsi non seruatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum. Cum enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus voulit: tanto magis fraudati voti auget ini-

iniquitatem, quanto minus habuit vouendi necessitatem. Hæc ideo dispuo, ne arbitris, vel secundas' nuptias crimen esse, vel quascunque NVPTIAS, cum sint NVPTIÆ, malum esse. Non itaque illas abs te damanatas velis esse, sed spretas. Bonum ergo continentia (RELIGIOSÆ) luculentius decet, cum pro illo vouendo & profitendo possunt contemnere (RELIGIOSI) quod & libet & licet. Sed post voti professionem perseveranter frænandum & vincendū est, quod libet, quia iam non licet.

Quod cuiquam antequam vouisset, licebat, cum id senunquam facturum voverit, non licebit: si tamē id voverit, quod vouendum fuit, sicut est perpetua virginitas, vel continentia post experta conubia, solutis à vinculo coniugali, vel ex consensu viuentibus, & carnalia debita sibi inuicem relaxantibus fidelibus castisque coniugibus: quod alterum sine altera, vel alteram sine altero vouere fas non est. Hæc ergo & si quaalia sunt, quæ rectissime vountur, cum homines voverint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine villa conditione voverunt. Quia & hoc Dominum præcepisse intelligendum est, vbi legitur: *Vouete et redditte Domino DEO vestro.* Vnde Apostolus de quibusdam quæ continentiam vount, & postea nubere volunt, quodeis antequam voulissent, vtique licebat: *Habentes, inquit, damnationem. quoniam primam fidem irritamus fecerunt.* Nihil ergo expedit, quod illicitum est, & nihil quod prohibet Dominus, licitum est.

Si DEO dispuicuit detrahere de pecunia, quam voverant (Ananias & Saphira Act. 5.) DEO, & vtique illa pecunia vñibus hominum fuerat necessaria: quomodo iraf-

S. Augus. lib.
de adul. com-
ing. cap. 24.

S. Augu. serv.
12. Addit. Lo-
wan.

irascitur Deus, quando vouchetur castitas, & non exhibetur? Vouchetur enim ad viſus Dei, & non ad viſus hominum. Quid est, quod dixi, ad viſus Dei? quia de Sanctis Deus facit sibi domum, facit sibi templum, in quo habitare dignetur: & utique sanctum vult manere templum suum. Potest ergo Virgini Sanctoriali nubenti (& cui libet Apostatae nuptiatori) dici, quod ait Petrus de pecunia: Virginitas tua nunquid non manens tibi manebat, & antequam eam voucheres in tua fuerat potestate? Quaecunque autem hoc fecerint, vouchent talia, & non reddiderint, non septent temporalibus mortibus corripi, sed aeterno igne damnari.

ibid. S. Gen. 13.

Quicunque continentiam vouchistis, reddite quod vouchistis, quia non exigetur, si non vouchetis. Quod potuit licere, non licet: non quia nuptiae damnantur, sed quia qui retrospicit, damnatur.

S. August. in
Psal. 83.

Reprobati sunt in populo Israël, qui festinauerunt affidue: affectus iste reprehenditur in scriptura festinantium. Quis sunt enim, qui festinant? qui conuersti ad Deum, cum hic non inuenierint requiem, quam querrebat, & gaudia quae promittebantur, tanquam initio deficiente, & longum sibi quiddam donec hoc seculum, vel haec vita finiatur, restare arbitrantes, & querentes hic aliquam requiem, quae si habetur, falsa est; respiciunt retro, & decidunt a proposito, nec attendunt cum quanto errore dictum est: Memento vxoris Loth. Ut quid enim in statuam salis versa est, si non homines condit, ut sapiant? Ergo exemplū illius malum, tibi sit bonum si caueris: Memento, inquit, vxoris Loth. Respexit enim retro, unde liberata

rata erat à Sodomis, & ibi remansit, unde respexit: ipsa in loco mansura, & transeuntes alios conditura. Liberari ergo à Sodomis præter itæ vitæ, non respiciamus retro. Nam hoc festinare est, non attendere, quod promisit Deus, quia longe est: & respicere ad id, quod proximum est, unde iam liberatus es. De talibus quid dicit Apostolus Petrus? Contigit illis res veri proverbi: *Canis reversus ad suum vomitum.* Premebat enim pectus conscientia peccatorum, accepta indulgentia quasi vomissum, & reuelatum est peccatum tuum, facta est bona conscientia, ex mala conscientia. Quid rursus conuerteris ad vomitum tuum? si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei?

Proverb. 26.
2 Petri. 2.

Vnusquisque fratres charissimi, de loco itineris suis ad quem* proficiendo peruenit, & quem vouchit Deo, inde respicit retro, cum ipsum dimiserit. Verbi gratia. Statuit castitatem coniugalem seruare (inde enim incipit iustitia) recessit à fornicationibus, & ab illis illicita immunditia: quando se ad fornicationes conuerterit, retro respexit Alius ex munere Dei maius aliquid vouchit, statuit nec nuptias pati, qui non damnaretur, si duxisset uxorem: post votum, quod Deo promisit, si duxerit, damnabitur; cum hoc faciat quod ille, qui qui non promiserat: tamen ille non damnatur, iste damnatur. Quare, nisi quia iste respexit retro? Iam enim ille ante erat, iste autem illuc nondum peruenierat. Sic virgo, quae si nuberet, non peccaret: Sanctimonialis si nupserit, Christi adultera reputabitur. Respexit enim retro de loco, quo accesserat. Sic quibus placet, relieta omni spe seculari, & eminacione terrena conferre se in societatem Sanctorum

* vel profici-
cendo.
S. August. loc.
cit.

Eorum, in communem illam vitam vbi non dicitur aliquis aliquid proprium, sed sunt illis omnia communia, & est illis anima una & cor unum in DEVM; quisquis inde recedere voluerit, non talis habetur, qualis ille, qui non intrauit. Ille enim nondum accessit, iste retrospexit. Quapropter charissimi, quomodo quisque potest, vouete, & reddite Domino Deo vestro, quod quisque potuerit; nemo retro respiciat, nemo pristinis suis delectetur, nemo auertatur ab eo quod ante est, ad id quod retro est.

III. S. CYPRIANI VEL TERTVLLIANI

SCYPRIAN. ad Senatorem Apos tam, fiducia ministrum, hoc est, praedicante Eucheranum fidatum.
Verè mente cares, sequeris qui mente carentes.
Vuid mercare, vide; minus esse forte notandum.
Sit tantum hoc scires, & in hoc errore maneres:
At cum vericolæ penetraueris oſtia legis:
Cur linquenda tenes, aut cur retinenda relinquis?
Nilq; colis, dum cuncta colis; nec corde retractas
Vera quid à falso, quid ab umbris lumina diftent.
Nam tibi si stomachum popularis mouerit aura
Et Iudeus eris, totusq; incertus haberis.
Disce DEO seruare fidem, &c.
Corrige delictum fidamine, corrige mentem,
Sufficit peccare semel, desiste vereri.
Non erit in culpa, quem paenitet ante fuisse.

EPODYS

EPODV S. HIERONYMI.

Hieronymus nouo Sabiniano.

S. Hieron. Ep. 48.

Amuel quondam lugebat Saulem, quia pœnituerat Dominum, quod vnxisset eum Regem super Israel. Et Paulus Corinthios, in quibus audiebatur fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes quidem, voce flebili commonebat dicens: Ne eum rursus venero, humilietur me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immoditijs, quas gesserunt in impudicitia & fornicatione. Si hoc Propheta & Apostolus, nulla ipsi labore maculati, clementi in cunctis mente faciebant; quanto magis ego ipse peccator in te debeo facere peccatore, qui non vis erigi post ruinam, nec oculos ad coelum leuare, sed prodita patris substantia, siliquis delectaris, & superbiae prærupta descendens, præcepis laberis in profundum. DEVM VENTREM vishabere pro Christo. SERVIS LIBIDINI, gloriaris in carne, & confusione tua: Et quasi PINGVIS, hostia in mortem propriam SAGINARIS imitarisque sorum vitam, quorum tormenta non metuis; ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te horretur. Secundum autem caritatem tuam, & cor impenitens thesaurizas tibi iram in die iræ. Ap. 10. 1. *Rome.*

D

idcir-

idcirco induratur, iuxta Pharaonem, cor tuum, quia non statim percuteris, & differris diu ad poenam? & ille dilatus est, & decem plagas non quasi ab irato Deo, sed quasi à Patre commonente sustinuit, donec in peruersum acta poenitentia, populum quem c' imiserat, per deserta sequeretur, & ingredi auderet maria, per quæ vel sola doceri potuit timori habendum eum, cui etiam clementa seruant. Dixerat & ille, non noui Dominum, neque dimitto Israel: Quem tu imitans loqueris: visio quam hic videt, in dies longos est, & in tempora longa iste prophetat, &c.

*S*anctus Dauid de impijs & de scelestis, QVO RVM P A R S T V N O N M O D I C A , S E D PRINCEPS ES, quod seculi felicitate fruerentur, & dicerent: Quomodo cognouit DEVS, & si est scientia in excelsò? Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo, obtinuerunt diuicias; pene lapsi pede, & fluctuante vestigio causabatur dicens: Ergo sine causa iustificaui cor meum, &c. Præmiserat enim quia æmulatus sum super iniqua agentes, pacem peccatorum videntes, &c. Nonne tibi videtur de te omnis iste psalmus esse compositus; *V*egeto quippe es corpore: & nouus antichristi Apostolus, cum in vna notus fueris ciuitate, transgrederis ad aliam. Non indiges sumptibus, non plaga forti percuteris. Et cum hominibus qui non sunt, vt tu, irrationalibia iumenta, corripi non mereris. Propterea elatus es in superbiam: & vestimentum tuum factet luxuria, & quasi ex ARVINA PINGVI, & quodam ADIPE ERVCTANS VERBA MORTIFERA, non te respieis esse moriturum;

nec

acc vñquam, post expletam libidine remorderis. Transisti in affectum cordis, & nō tibi solus videaris errasse, simulac nefanda de seruis DEI, nesciens quod iniquitatem in altum loquaris, & ponas in cœlum os tum. Nec mirum, si à te qualescumque serui DEI blasphementur, cum patrem familias Beelzebub vocaverint patres tui, &c.

Hæc tibi ridicula forte videantur, qui comoedis, & lyricis scriptoribus, mimis & lentulis delectaris: quanquam ne ista tibi quidem præ nimia cordis hebetudine intelligenda concesserim. Prophetarum verba contemnas, sed respondebit Amos: Et in tribus, & in quaatuor impietatisbus, nonne auersabor eum dicit Dominus? &c. Sceleratum est mala cogitare: confessi. Nequius est, male cogitata velle perficere: & hoc pro mea misericordia benignius indulsi. Nunquid & opere implendum peccatum fuit, & mea superbe calcanda clementia? Tamen & post factū, quia malo poenitentiam peccatoris, quam mortem: non enim sani opus habent medico, sed male habentes iacenti manum porrigo, & conspersum in sanguine suo, vt proprijs fletibus lauetur, exhortor. Quod si nec sic poenitentiam vult agere & fracto nauigio, ratabilam, per quam saluari poterat, non retentat: cogor dicere: super tribus & quaatuor impietatisbus nonne auersabor eum dicit Dominus?

Parce, quæso, animæ tuæ. Crede, DEI filium futurum esse iudicem. &c. Facies meretricis facta est tibi, nescis erubescere. Conuertere miser ad Dominum, vt ad te Dominus couertatur. Age poenitentiam, vt & ille agat poenitentiam super omnibus, quæ locutus est

malis, vt faceret tibi. Quid neglecto vulnera proprio
alios niteris infamare ? quid me, bene tibi & sedulo
consulentem, quasi phreneticus morsu laceras ? &c.
Fluant paululum de oculis lacrymæ : inter sericum
& linteamina, quibus tibi videris fulgidus & formosus
intellige te nudum, conscientem, sordidatum, mendi-
cantem. Nunquam est sera pœnitentia. Quamuis de
Hierosolymis descenderis, & sis in itinere vulneratus,
indete Samaritanus impositum iumento, curandum
que ad stabulum referet. Sed et si mortuus iaces in se-
pulchro, tamen & fœtentem Dominus excitabit. Imi-
tare saltem cœcos illos, propter quos Saluator dimit-
tens domum suam, & hereditatem suam, Hiericho
venit. Sedentibus in tenebris & umbra mortis lux or-
ta est eis. Qui postquam præterire Dominum cogno-
uissent, cœperunt clamare dicentes: Fili Dauid mise-
rere nostri. Poteris & tu videre, si clames, si accitus

ab eo sordida vestimenta projicias. Cum con-
uersus ingemueris, tunc saluus eris,
& tunc scies, ubi
fueris.

F I N I S.

Cum Facultate Superiorum.